



Maximinus patre Mecca Gotho, et matre A-
baha ex Alanis genitus fuit, quæ quidem
gentes non immerito Germanis semper annume-
ratę fuerunt. Erat hic ultra communem hominum
mensuram (ut Cordus scribit) octo pedum longi-
tudine: præterea tanta corporis fortitudine prædi-
tus, ut alij eum Crotoniatem Milonem, alij Hercu-
lem, alij Achillem, alij Aiacem uocarunt. hic à pue-
ritia opilio fuit, & apud suos pecora pauit. postea
uerò amicorum consilio castra sequi statuit, itaque
prima stipendia sub Seuero Imperatore fecit, atq;
inter stipatores corporis sui in aula locatus, & mu-
neribus donatus, quod magnitudine corporis cō-
spicuus, & inter milites sua uirtute clarus esset. Id autem sic evenit: Cum Seue-
rus ludos militares in natali filij festo celebraret, atque Maximinus proposita
præmia cerneret, principem Barbarę lingua rogauit, ut sibi quoq; cum militi-
bus decertare liceret. Tum Seuerus corporis proceritatem miratus, ne quid
indignum militibus homo agrestis inferret, cum lixis luctari concessit. Horū
sedecim, nulla temporis intercapidine data, mira prosperitate stravit, & præ-
mij's acceptis stipendia equestria meruit. Verùm tertio die post, cum Cesar e-
ius uires clarius cognoscere uellet, Maximino præcurrente, equum suum in
gyrum uarijs anfractibus inflexit, ac Gothum fatigare statuit. Postea prin-
ceps quæsiuit, an nunc luctam inire uellet: Cui assentiēti, Seuerus septem ua-
lidissimos milites elegit, quibus cum luctaretur. sed cum illos nullo labore p-
sterneret, & terræ allideret, inter sui corporis stipatores eum elegit, & multis
donis locupletauit. Seuero autē defuncto sub Antonino Caracalla militares
ordines duxit, atq; magnum sibi nomen comparauit. Cum post Macrinus ad
Imperium uenisset, ipse in patriam redijt, aliquot sibi possessiones impetra-
uit, & cum Gothis ac Alanis per triennium familiarissimē uixit, plurimum
ab ijs amatus.